Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia**

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ; Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius fundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum MCCCLXX. II. Coenobii ...

**Trithemius, Johannes**

**Francofvrti, 1601**

XV. Ioan. Trit. Ab. S. Iacobi Herbipolensis, Opt. Fratri Nicolao Basellio monacho Hirsaugiensi, suo quondam auditori atque discipulo S.

**urn:nbn:de:0128-1-17336**

Ad has literas in diebus paſchalibus primum reſpondi, quoniam non per certum nuncium, ſed per caſualem vectorem, qui piſces nobis ab ipſo principe donatos adduxit ſexta die menſis Martii, quæ fuit ſabbathum poſt reminiſcere in quadrageſima, mihi præſentatæ ſunt.

## XV.

*IOAN. TRIT. AB. S. IACOBI HERBIPOLENSIS, OPT. FRATRI Nicolao Baſellio monacho Hirſaugienſi, ſuo quondam auditori atque diſcipulo S.*

AEGRITVDINI tuæ compatior, & Dei ſummi clementiam oro, vt priſtinæ te quantotius reſtituat ſanitati. Et mihi quidem ſicuti ſcribis vaſtitas & ſolitudo, iuxta vaticinium Eſaiæ prophetæ occurrerunt non ſine contritione magna, quoniam bello multorum ſæuiente in Principem meum Sereniſſimum Palatinum, omnes pene cortes monaſterii tunc mei Spanhemenſis, aut incẽdio aut vaſtatione hoſtili perierunt. Bello tandem imperio Regis Romanorum ſedato, quidam ex Cynonotis principi Palatino non ſatis proſpera fauentes, contra me in eius odium ſurrexerunt, mihique in occulto æmulos ſuſcitantes, Ducem Ioannem reddiderunt infenſum. Quę poſthæc ſuper me ſecuta ſint mala, cum eſſes mecum in fine menſis Iunii Neometi anno quinto ſupra quingenteſimum atque milleſimum, plenius audiuiſti. Poſtea vero cum tempore didici quod prius ignorabam, quoniam omnia quæcunq; aduerſum me tentauerunt æmuli, ad inſtantiam quorundam fratrum meorum ſimul & abbatis Moguntini hoſtis omnium ſtudioſorum hominum præſumpſerunt. Enimuero niſi me abſente, nihilque tale ſuſpicante manutenuiſſet improbos, nũquam in me talia commiſiſſent. Non mireris Baſelli, nec temere factum arbitreris, quod abbatiam dimiſerim Spanhemenſem iniuria prouocatus æmulorum, in qua per annos tres & viginti quantas inutiles occupationes meo propoſito aduerſas habuerim, nec ego dicere poſſum, nec tu facile crediturus es. Quamuis non penitus omniũ ſis ignarus, vtpote qui anno mecum integro conuerſatus, mores & ſtudia ſingulorũ examuſſim perpendiſti, & oſores bonarum literarum apud nos plures inueniſti. Quid faceremus diutius cum monachis ingratis, quibus perſuadere nunquam potuimus, vt mores ad regulæ puritatem corrigerent, & ſacro ſtudio ſcripturarum, quod monachos maxime decorat, inſiſterent, ſed vanitatibus ſemper inhiantes ſalutis monita ſpreuerunt. Poſtremo in reprobum ſenſum conuerſi grauem ſed occultam in nos conſpirationem ordinarunt, talia per iniquitatis ſatellites præſumentes, quæ nobis ad contumeliam iniuſtiſſime facta viderentur. Dimiſimus illos oportunitate accepta, neque enim nos pœnitet, locum aſſecuti etſi pauperem, quietum tamen & noſtris ſtudiis non mediocriter conuenientem, in quo & nobis & lectioni vtiliter vacare poterimus ſcripturarum. Qui ſint capita factionis in nos cum velis ſcire, ad memoriam reuoca quæ olim audieris in Spanheim, & bonos facile à conſortio malorum ſecernes. Benedictus dominus Deus omnipotens, qui me liberauit de medio Babylonis, & de profundo inutilium occupationum eripuit animam meam, vt deinceps ambularẽ coram eo in pace & tranquillitate mentis, quod ſemper quidẽ optaueram in toto corde meo. De Chronica monaſterii tui Hirſaugienſis, ſcire te volo Irbuſine chariſs. quod imperfectam reliqui vna cum libris & comportatis omnibus in monaſterio Spanhemenſi, vbi quicquid veſtri iuris eſt quærite, & pro eius conſummatione vt volueritis cogitare. Prior enim conuentio nihil amplius ad me pertinet, quia cum abbatia omnibus ad eã pertinentibus renunciaui. Ero nihilominus paratus facere pro honore monaſterii tui quod potero, ſi tuus voluerit abbas. Vale noſtri memor in orationibus tuis ad Deum. Ex Herbipoli 14. die menſis Martii, Anno Chriſtianorum 1507.

*Chronica Hirſaug.*

## XVI.

*REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI IOANNI TRITEMIO abbati Herbip. doctiſſ. præceptori ſuo, Ioannes Centurianus de Cluſardia paſtor eccleſiæ in Trittenheim, Salutem.*

DICI poteſt minime, nec facile quidem crederet quiſquam, præceptorum omnium doctiſſime, quanta fuerim lætitia & exultatione perfuſus, quando magiſter Iacobus Tri-

bus Tri-